


**Rectore Academiae Magnificentissimo, Serenissimo Principe Ac Domino, Dn.
Friderico Avgvsto, Principe Regio, Et Elect. Sax. Herede, Etc. Etc. Etc. Versionem
Græcam Pentatevchi Septvagintavirali Antiqviorem**

Vitembergae: Prelo Gerdesiano, [1706?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn869377531>

Druck Freier  Zugang





92

La 1092 (92)

5.

3. 6.

33.

23

1.


0.

2

2

4

1



Q. D. B. V.
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAX. HEREDE,
ETC. ETC. ETC.

VERSIONEM
GRÆCAM PEN-
TATEVCHI
SEPTVAGINTAVIRALI
ANTIQUIOREM

P R A E S E S

M. GEORGIUS JACOBVS
ENGELBACHIVS,
WESTHOVIA HANOICO-ALSATVS,

PRO LOCO

IN AMPLISSIMA PHILOSOPHICA FACVLTA TE
SIBI CONCESSO

D E M O N S T R A B I T
R E S P O N D E N T E

JOH. HENRICO MEEL, LANDAVIENSI.
IN AUDITORIO MAJORI HORIS MATUT.
ANNO MDCCVI AD D. XXV. OCTOBRIS.

VITEMBERGÆ, PRELO GERDESIANO.




V I R O
ILLVSTRI AC PRÆ-STRENO
DOMINO
REINBOLDO
FRIDERICI
REGIÆ AC LIBERÆ ARGEN-
TORATENSIVM REIPVBLICÆ
CONSVLARI GRAVISSIMO

DOMINO
PATRONO SVMMO ET MÆCENATI
BENIGNISSIMO
HAS STVDIORVM PRIMITIAS

D. D. D.

DEVOTISSIMVS
JOHANNES HENRICVS MEEL.



I. N. J.

PROOEMIUM.



Agnam multamque disputandi materiam nostra potissimum ætate Septuaginta, ut vulgo vocantur, Interpretes eruditis suppeditarunt, ut dubites, majoremne illi nominis celebritatem relicto præstantissimo industriæ & doctrinæ monumento, an crebris doctorum dissertationibus affecuti fuerint. Fons contentionis hujus vel omnis vel præcipuus exstitit ARISTEÆ *historia de versione illa septuaginta avirali* literis signata & memoriæ prodita, quam alii quidem germanam & veram, alii etiam suppositam & confictam, multaque falsitatis vestigia secum ferentem agnoverunt. Posterius hoc persuasum sibi habuerunt RICH. SIMON in *Histor. Crit. V. T. Lib. II. c. 2.* & ante eum LUDOV. VIVES, LEO A CASTRO, SCALIGER *ad Eusebium an. 1734.* HOTTINGERUS item p. 292. *Thesauri Philologici.* Conf. ROB. COCI *Censura quorundam Scriptorum p. 1 sq.* SCALIGER speciatim & VALESIVS *ad Euseb. Histor. Eccles. p. 95. a.* historiam illam Judæo cuidam Alexandrino acceptam ferunt. Eandem causam deinde magno eruditionis apparatu defendendam sumsit HUMFREDUS

A 2

DUS

DUS HODY Anglus, juvenis tum temporis supra
ætatem eruditus in *eleganti diatriba Oxon. 1684. 8vo.* contra
Aristeæ historiam conscripta & edita, quam promeritis
laudibus maectat CLERICUS *Tom. II. Biblioth. Universal.*
p. 386 sq. Cumque ita ISAACO VOSSIO, strenuo Ari-
steæ defensori, bilem movisset, præcipue cum is Interpre-
tum auctoritatem non parum labefactari videret, Ari-
steam adversus Hodii objectiones vindicare & asserere co-
natus est infelici ausu in *Append. ad Melam p. 68 sq.* cui nuper
admodum idem Vir Doctiss. satisfacit in repetita multum-
que aucta illius dissertationis editione, qua Vossii exce-
ptiones erudito omnino examini subjectæ retunduntur.
Suffragatur eidem ANT. VAN DALEN, in *dissert.*
super Aristeæ cum hujus historia Amstel. 1705. 4to. excusa, in
qua non contemnendis argumentis evincit, totam illam
historiæ telam a Græculo quodam Christiano, eoque Phi-
lone recentiore, inceptam ac pertexam esse. Vicissim
Patres plerique omnes Aristeam illum cæcorum instar
secuti sunt & omnia ab eo pronunciata assensu suo com-
probarunt. Ex recentioribus autem Isaacus Vossius ni-
hil non pro septuaginta Seniorum auctoritate molitus hoc
sibi credidit negotii datum esse, ut Aristeam pristinae, in
qua apud Patres versabatur, auctoritati restitueret, &
vindicaret. Ex hac animorum dissensione effectum est,
ut de aliis quoque hujus argumenti capitibus eruditi in-
ter se disceptarent. Sic pervulgata omnino multorum-
que & sermonibus & scriptis trita controversia est, quæ
in eo continetur, utrum Interpretes laudati totum Sacri
Codicis Systema, an Pentateuchum solum græco reddide-
runt sermone. Nec utrique sententiæ sui desunt Patroni,
auctoritate ferme æquales. Posteriori quidem assentiun-
tur RICH. SIMON in *Histor. Crit. V. T. Lib. II. c. 2.* JOH.
CROIUS in *Observation. Sacr. p. 224.* SALMASIUS *Com-*
mentar.

mentar. de Lingua Hellenist. OTHO in *Lexico Rabbinico* p. 283.
itemque WALLISIUS *Tom. IV. Opp. p. 277.* & plures alii
quos vide apud HOTTINGERUM in *Thefauro Philolog.*
p. 308. sqq. Atque illi quidem styli potissimum varietate
adducti ita sentiunt, quod ex WALLISII nominatim
verbis apparet ita conceptis: *Totum eodem tempore & ab*
iisdem auctoribus non fuisse conversum (sacrum Codicem)
svadere videtur tam dissimilis in aliis atque aliis partibus
phraseologie ratio. Idem prorsus pronunciat RICH. SI-
MON *l. c.* Hoc tamen non obstitit, quo minus alii prio-
rem præferendam putarent sententiam, inter quos nu-
merandus est HOTTINGERUS *l. c.* WALTONUS
Prolegom. IX. §. XII. ISAACUS VOSSIUS in *Respons.*
ad objecta nupera Criticæ Sacræ p. 129. & ex Nostratibus B.
PFEIFFERUS in *Critica Sacra cap. XI. Sect. II. qu. 2.* sen-
tentiam hanc curiositate & instituto Polemæi, citationi-
bus item in N. T. tum conditione quoque Judæorum
Ægyptiorum egregie confirmans. Non minor fuit de
eo Disputatio, an Græca illa Interpretum versio hodie in-
tegra supersit, nec potius variis in locis interpolata & ad
posterios transmissa videatur. Pro illo propugnat in pri-
mis CAPELLUS in *Critica Sacra*, vel potius si titulum
operi accomodare velis, profana, quippe qui in ista as-
sertione magnam sententiæ suæ de vocalium novitate
præsidium invenisse sibi videtur. At cum plurima re-
rum argumenta fidem faciant, illam non uno in loco vi-
tium passum esse, in diversam plerique abierunt senten-
tiam, magno numero allegati a B. PFEIFFERO in *Cri-*
tica Sacra l. c. qu. V. qui & idem evincit. Adde illis HUE-
TIUM, Virum non magis dignitate quam doctrina illu-
strem, qui hodiernam LXX. Interpretum versionem de-
pravatissimam esse & mire sive propter obeliscos omis-
sos, sive propter Judæorum corruptionem, sive propter

librariorum incuriam five propter temporis longinquitatem vitiatam esse erudite ostendit in elegantissimo *de optimo genere interpretandi* commentario p. 56. sqq. Omitto alia commemorare, quæ in controversiam vocata sunt ab eruditis, & ad eam devenio litem, quam non minori animorum contentione agitatam esse novi, nec eam quidem inutilem aut supervacaneam. Disquisitum scilicet est, utrum versio, quam Septuagintaviralem appellare solemus, prima fuerit omnium, quæ Ebraicum contextum Græcorum lingua expressum exhibuerit, an alia fuerit antiquior, quæ ab ista quasi absorpta & ad interitum damnata sit. Hanc quæstionem movere iterum & accuratius disceptandam sumere vel ideo placuit, quod non meminerim, eam ab ullo ex professo tractatam aut definitam fuisse. Ut autem ordine procedat tractatio, divino præsidio subnixus, primo loco utriusque sententiæ defensores in scenam producam, his subjungam idoneas rationes pro mea, quæ aliquam fuisse Græcam ante LXXviralem translationem sed eam imperfectam & inconcinnam affirmat, adversariorum autem argumenta, in insidiis collocata, ultimo loco enervabo.

§. I.

3.
Qui affirmant, Græcam quandam versionem Alexandrina antiquiorem fuisse, complures numero sunt iique non exiguæ auctoritatis, five eam ex ætate five ex eruditione & doctrina æstimaveris. Plerique enim Ecclesiæ primævæ Doctores, Clemens Alexandrinus, Justinus Martyr, Eusebius, Theodoretus & alii in eo consentiunt, quod Pentateuchus, de reliquis enim antiqui fœderis libris id non affirmant, jam ante Alexandrum M. imo ante Persicam Monarchiam Græca versione eaque barbara admodum & incondita fuerit

fuerit redditus. Illi autem antiquiorum innituntur au-
toritate, speciatimque ARISTEAE, qui in *historia sua*
testatur, quod antiquior illa versio ἀμελέστερον καὶ ἔχως ὑπάρ-
χει, σεσήμενται, h. e. incuriosius & non ut debebat, concepta
sit, addita ratione, quod Regiæ curæ particeps non fuerit.
Antiquior hoc testis ejusdem rei est ARISTOBULUS,
Judæus & Peripateticæ Philosophiæ assecla ac Ptolemæi
Philometoris æqualis, cujus hanc in rem locus ab EU-
SEBIO *Preparat. Lib. IX. c. 6. & XIII. 12.* asservatus ita legi-
tur: Διεξηγήθηται δὲ πρὸ Δημητρίῳ ὑφ' ἐτέρων, πρὸ τῆς Ἀλεξάνδρου
κατὰ Περσῶν ἐπικρατήσεως, τὰ τε κατὰ τὴν ἐξ Αἰγύπτου ἐξαγωγήν τῶν
Ἑβραίων τῶν ἡμετέρων πολιτῶν, καὶ ἡ τῶν γεγονότων αὐτοῖς ἐπιφά-
νεια καὶ κράτησις τῆς χώρας καὶ τῆς ὅλης νομοθεσίας ἐπεξηγήσας
h. e. *Ante Demetrium, priusquam Persas domuisset Alexander,*
alii interpretati sunt ea, qua pertinent ad Ebraeorum, popula-
rium nostrorum, exitum ex Aegypto, & ad rerum qua ipsis
contigerunt, celebritatem, & regionis expugnationem, & to-
tius legislationis enarrationem. Eadem habet CLEM. A-
LEXANDR. *Lib. I. Strom.* Ex recentioribus horum Pa-
trumque vestigiis institerunt GOTHOFR. VOIG-
TIUS in *Imagine SS. Trinitatis p. 83 sqq.* saltem Pentateu-
chum græce jam antea conversum fuisse asseverans,
STEPH. MONACHUS item sive LE MOYNE in
notis ad Varia Sacra p. 120. IS. VOSSIUS in *Respons. ad*
objecta nupera Criticæ Sac. p. 129. confidenter satis interro-
gans: *Quis non miretur hoc demum saculo reperiri homines,*
qui falsa esse pertendant, qua tot & tantis fulciantur testi-
bis, quique vel interfuere, vel saltem proximi iis quibus hæc
facta sunt, fuere temporibus? His accedit ex Nostratibus
B. D. CALOVIUS in *Critico Sacro diatrib. X. p. 463.* B.
MICH. WALTHERUS, in *Offic. Bibl. §. 319.* & MICH.
NEANDER in *Præfat. ad Erotemata Lingue Ebr. ex Re-*
formatis HOTTINGERUS in Thesauro Philolog. Lib. I
c. III

§. II.

Adversari his & contrarium statuere BARONIO Tom.
II. *Annal. ad A. C. 231. n. II.* videntur ex antiquis PHILO
Lib. II. de vita Mosis ita locutus: *Lex antiquitus scripta fuit
lingua Chaldaica mansitque longo tempore in ea, quamdiu legis
ipsius pulchritudo non est intellecta ab externis hominibus; Post-
quam autem ex quotidiano ejus usu etiam ad alienos sensus qui-
dam permanavit, simul gloriosa quoque fama ubique terrarum
increbuit (nam honestis rebus ad tempus obesse potest invidia,
illa autem se proferunt tandem suapte felicitate ingenii) ex-
stiterunt, qui indigne ferrent, has leges parti tantum humani
generis innotuisse, Græcas gentes nullum earum gustum cepisse:
dederuntque operam, ut verterentur per idoneos Interpretes.
Id opus quia magnum erat & Republica utilissimum, non pri-
vatis hominibus obvenit, non mediocribus istis principibus &
regulis, sed Regi omnium celebratissimo. Ptolemaeus is fuit
Philadelphus cognomine, tertius ab Alexandro, Ægypti Rex.
Non minus ad hanc causam pertinere idem purpuratus
pater putat JOSEPHI testimonium *Lib. XII. c. 2. Antiqui-
tat. Judaic.* cujus verba brevitatis causa latine dabo: *Cæpit,
inquit, de ea re conferre cum Demetrio, rogans, qui factum sit,
ut tam admirandarum legum nec historicus ullus nec poëta
mentionem fecerit. Tunc Demetrius respondit, neminem au-
sum eam attingere, quam constaret divinam esse, & omni ve-
neratione dignissimam; & punitos esse quosdam a cælesti Nu-
mine, qui illam temere attrèctare non sint veriti. Theopom-
pum enim, volentem inde quadam suis scriptis inserere, men-
te motum fuisse diebus triginta, & per intervalla insania De-
um placasse, facile conjicientem, que morbi causa fuerit, atque
etiam in somnis admonitum, hæc ideo pati, quod fuisset circa
res divinas curiosior, eaque proferre voluisset profanis homini-
bus,**

bus, quare cum a cœpto destitisset sanam mentem ei fuisse red-
ditam. Theodecti etiam pœta cum in quadam tragedia vel-
let aliquid e sacris literis admiscere, oculos glaucomate suf-
fusos caligasse: & cum erratum agnovisset, exorato DEO red-
ditam sibi aciem. His tandem ex recentioribus accedit
BARONIUS l. c. Sect. 17. His igitur, inquit, permoti
rationibus, Philonem, Josephum, Aristeam aliosque secuti pri-
mam omnium ac principem ducimus divina Scripturæ interpre-
tationem, quæ a Septuaginta duobus Interpretibus, rogante
Ptolemæo Philadelpho, fuit divino elaborata consilio. BARO-
NIUM, a quo dissentit BELLARMINUS, sequuntur
fidei socii DOMINICUS BANNES in *I. Thoma qu. 1.
art. 8.* JO. d' ESPEIRES de *LXX. Intt. Tract. II. disp. II. dub.
III.* & RICH. SIMONIUS *Hist. Crit. V. T. Lib. II. c. 2. p. 8.*
Ex Reformatis non aliter persuasi fuerunt CAPEL-
LUS *Lib. IV. Critices Sac. c. 1.* WITACKERUS, BRIAN-
NUS WALTONUS in *Appar. ad Biblia Polyglotta An-
glicana prolegom. IX. n. 6.* & EDUARD. STILLING-
FLEETUS in *Originibus Sacris Lib. I. c. 3. §. 9.* His adde
novissime omnium HUMFREDUM HODY *Lib. IV.
c. 1. de textibus original. & versione Græca*, & ANTON.
VAN DALEN in *Dissert. super Aristeæ c. XXIX.* quos
idem sentire patet ex *Actis Eruditor. Ann. 1705. p. 517 sq.* Ex
Nostratibus in hanc classem referendi sunt B. KORT-
HOLTUS in *tractatu Theologico-Historico-Philologico de
Variis Sacra Scripturæ editionibus c. V.* & JO. FRICKIUS
in *præfatione ad LXX. Interpretum versionem Lipsiæ cu-
ratam.*

§. III.

Duas igitur habemus diversa sentientium classes,
quorum alii Pentatevchum saltem ante LXX. Interpre-
tes versum fuisse asseverant, alii negant. His medium se
præstat HUETIUS Romanæ Antistes Ecclesiæ, qui Pen-
tatevchum

tatevchum græce ante hæc tempora translatum fuisse nec negat, nec affirmat, cum de quibusdam tantum ejus partibus id largiatur. Audiamus ipsum loquentem in *Demonstr. Evangel. Prop. IV. c. XII. p. 279.* *Has inter pugnantes sententias, inquit, mediam eamque novam amplector. Ajo enim, non totum Pentatevchum, sed partes tantum quasdam ante Alexandrum Græce redditas fuisse.* Hanc Aristobuli mentem esse in loco supra a nobis recitato fuisse comprobare nititur Huetius l. c. de quo quid sentendum sit, paulo post constabit. Jam quidem illud monebimus, vel hinc constare, quod non simpliciter accipienda sint Huetii verba, quæ p. 151. *de Claris interpretibus & optimo genere interpretandi* leguntur, levibus illos conjecturis duci, qui ante LXX. aliam versionem Græcam fuisse dicant. De integro enim fœderis antiqui codice intelligenda sunt, nisi sibi ipsi parum constare existimandus sit Huetius, quod a Viro harum rerum intelligentissimo alienum prorsus existimo. Interim nec nova prorsus est, quod sibi perperam persuasit Huetius, hæc opinio, utpote quæ jam antea IS. VOSSIO in *tractatu de LXX. Interpretibus 1660.* edito se approbavit, ubi p. 14. proficitur, quasdam historiæ Mosaicæ portiones ante Alexandri M. expeditionem Persicam græce translatas esse. Huetio prorsus suffragatur Summe Rever. D. GERH. MEYERUS Bremensium Antistes in *ισοσημείως de versione Septuaginta Virali §. 54.*

§. IV.

Tres proinde hic observantur dissentientium sententiæ, aliis integrum Pentatevchum, aliis aliquas ejus partes græce translatas affirmantibus, aliis utrumque aperte inficiantibus. Quarta his addi posset clasfis, nisi ea & perexiguos inveniret Patronos, & nulla præterea veterum auctoritate stabiliri ac confirmari posset.

Sunt

Sunt enim qui totam V. T. Scripturam ante LXX. Versionem, versam existisse affirmant, quibus accensendus est, ni fallor, B. GERHARDUS noster *in locis Theologicis Loc. I. p. 202. b.* ita mentem exponens suam: *Diximus in tractatu de methodo studii Theolog. Part. II. Sect. I. c. 4. varias olim existisse Græcæ V. T. versiones, sed quæ succedente celebri illa LXX. Interpretum versione usurpari desierint.* Sed ista quidem opinio non facile se cuiquam probabit, quod ex nullo eorum, quos in medium adduxit, auctore constet, Scripturam V. T. totam græcæ cum aliis gentibus communicatam fuisse. Restat igitur ut in altera reliquarum acquiescamus, & vel existisse ullam antea versionem negemus, vel Pentatevcho soli hanc gloriam relinquamus, vel denique quibusdam ejus partibus id accidisse cum Huetio fateamur. Hoc vero postremum ut admittamus, necesse non est, cum efficere nemo possit, ut argumentorum pondere permoti credamus Aristobulum id verbis antea commemoratis insinuare voluisse. Id quidem ut probaret, operam dedit Huetius, at quin infeliciter probarit, ex dicendis, opinor, patebit. *Si totum*, inquit Vir doctus, *Pentatevchum voluisset significare, quorsum ejusmodi circuitione usus esset? aperte dixisset, ante Demetrium Græcæ expositum fuisse Mosis volumen.* Quod quoniam ita non erat, nempe id, quod erat, locutus est, & partes græcæ conuersas recensuit; exitum nimirum Ebræorum ex Ægypto, præcipua miracula a DEO in eorum gratiam edita, pugnas & victorias & legislationis denique historiam. Igitur eo opere non Genesis, neque Arca aut Tabernaculi fabrica, non constructio instrumentorum utensilium, quæ pertinebant ad sacrificia, non Pontificalium & Sacerdotalium instrumentorum descriptio, non populi recensio, non Legis repetitio, non lex ipsa continebatur. Scilicet Aristobulus Huetio circuitione usus videtur, eo consilio, ut partes græcæ expressas enumeraret, nec ullam aliam illius instituti rationem

tionem reddi posse existimat. At enimvero quid si dicerem, momenta hæc ideo ab Aristobulo commemorata esse, ne qua totius Pentatevchi pars excipienda cuiquam videretur. Quæ conjectura facile se cuiquam probarit si ostendero, phrasibus illis totum Mosaicæ scriptionis complexum commode posse comprehendi. Quid enim obstat, quo minus per τὴν ἐπιφάνειαν τῶν γεγονότων τοῖς Ἑβραίοις sive per celebritatem eorum quæ acciderunt Judæis, intelligamus omnia quæ in Genesi præcipue & Exodo commemorata ante Captivitatem Ægypt. sub egressum item & post illum evenerunt, cum nulla sit ratio, quæ jubeat, ut verba hæc cum Huetio speciatim de miraculis a D E O in populum suum perpetratis accipiamus. Quomodo autem expugnatio regionis græce exponi potuisset, nisi pleraque eorum quæ per quatuor posteriores Mosis libros magno numero de bellis & cladibus hostibus illatis dispersa sunt, recensita fuissent. Tria igitur hæc præcipua Mosaici Pentatevchi capita, nempe exitus ex Ægypto, ea quæ populo Judaico acciderunt, pugnae item & victoriæ totum fere Pentatevchum exhauriunt, si excipias legem. Atque hujus versionem speciatim in memoriam revocat Aristobulus per ἐπεξήγησιν τῆς ὅλης νομοθεσίας. Quæ quidem verba non ita constringenda puto, ut non integram legem, moralem æque ac forensẽ & ceremoniam itemque repetitam denotent, sed legislationis solum historicam recensionem Huetio interprete comprehendant. Hoc enim velle Præfulem doctissimum patet ex his ejus verbis: *Aliud est νόμος, aliud νομοθεσία, Lex & legislatio: habebatur illis νομοθεσία non νόμος.* At Huetius sane præstare non potest, quod vox νομοθεσίας non idem prorsus hic valeat quod νόμος, cum id nonnunquam usu venire eodem in loco ipse diffiteri non possit, *vocabula hæc aliquando confundi agnoscens.* Et quid dicet Vir doctus de Demetrii Phalerei loco
ex

3.

ex Josepho ab ipso ibidem allato, cujus prima verba ita habent, δηλώ σοι τὰ τῆς ἰσραήλων νομοθεσίας βιβλία λείπειν ἡμῖν σὺν ἑτέροις h. e. *significo tibi, libros legislationis Judaeorum deesse nobis cum aliis.* Hic non existimem Huetium per νομοθεσίαν aliquot tantum Pentatevchi Mosaiici partes vel recensionem solum legislationis historicam intelligere, cum plures legis libri commemorentur.

§. V.

Hæc igitur manifesta non sunt, ceteri sibi persuadet Vir solertissimus, nec manifestiora, quæ ex eodem Aristobulo subjungit, ἡ δὲ ὅλη ἐρμηνεία τῶν διὰ τῶν νόμων πάντων ἐπὶ τῶν προσαγορευθέντων Φιλαδέλφου βασιλέως σὺν δὲ προγόνοις, προσεγεγραμμένοις μέγιστα Φιλοτιμίαν, δημοτέροις τῶν Φαληρέων πραγματωσαμένοις τὰ περὶ τούτων h. e. *At integra interpretatio eorum omnium, quæ in lege habentur, adornata est sub Rege eo, qui Philadelphi nomen tulit, progenitore tuo, a quo major rei huic adhibita est cura & studium; rei administrationem procurante Demetrio Phalereo.* Neque enim erravero si per νόμον non legem strictè sic dictam Mosaicam, sed totum V. T. quod legis vicem obtinet, intellexero, præsertim cum HOTTINGERUS p. 310. *Theauri Philolog.* omnia veterum loca, quæ νόμον græce translatum testantur de toto V. T. interpretetur. Nec magis pro Huetio ARISTEAE facit locus apud Euseb. *Præpar. VIII. 5.* ubi Demetrius ait Philadelpho, ἀκηκοέναι περὶ Θεοπόμπου, διότι μέλλων τινα τῶν προσημνησμένων ἐπιστάλας ερον ἐκ τῶν νόμων προσισοῦσιν, ταραχὴν λαβὸν τῆς διανοίας πλεῖον ἡμερῶν τριάκοντα. h. e. *audivisse se, Theopompum, cum nonnulla eorum, quæ antea interpretatione fuerant donata audacius ex lege referre voluisset, mente emotum per dies plus triginta fuisse.* Huic loco allato subjungit Huetius p. 291. *Quid aliud autem significant, τὰ προσημνησμένα ἐκ τῶν νόμων, quam partes legis jam ante conuersas? Unde plane efficitur, non*

B 3

omnes

omnes tunc fuisse conversas. Præter rationem enim Huetius ad vocem τὰ προσημνησμένα refert verba ἐκ τῶ νόμου, quæ ex mente Demetrii conjungi cum illa non debent, ut adeo προσημνησμένα illa dicantur non respectu aliquarum Pentatevchi partium, sed reliquorum Veteris T. librorum. Ex his, ni fallor, manifestum est, Huetianam verborum Aristobuli interpretationem, cui novam, ut putat sententiam superstruxit, solido fundamento non inniti, sed ita esse comparatam, ut non magis vera quam nova sit.

§. VI.

Cum igitur hæc Veterum testimonia non svadere videantur, ut credamus, aliquot solum portiones Mosai-
ci voluminis conversas esse, eademque nihilominus tam
luculentam faciant versionis alicujus mentionem, tutissi-
mum erit, si integrum Pentatevchum ante Alexandri-
nam illam versionem græcè exstitisse existimemus. At-
que pro illa quidem sententia non unum militat argu-
mentum. Inprimis vero innititur auctoritate Aristobuli
Judæi, quem Ptolemæi Philometoris Magistrum fuisse
gravis testis est EUSEBIUS in *Chronico ad An. 1840.* ubi
vide Scaligeri annotationes. Duo autem isto nomine cele-
bres veterum memoria exstiterunt, iste scilicet quem lau-
davimus, & alter antiquior ætate, quem in concinnanda
Græca LXX. Interpretum versione cum aliis elaborasse
auctor est ANATOLIUS apud *Eusebium Hist. Eccles. VII.*
32. Hoc quidem præter alios ægre tulit & cum temporum
rationibus conciliari minime posse arbitratus est HUE-
TIUS in *Demonstr. Evangel. Propos. IV. c. 2. §. 27. p. 100.*
Unum hunc quoque, inquit, de septuaginta Interpretum
numero fuisse comminiscitur Anatolius apud Eusebium,
quod temporum ratio non patitur: nam Ptolemæi Philo-
metoris Magister fuit, eique opus suum inscripsit, atque
inde

inde nonnulla profert CLEMENS ALEXANDRI-
NUS; nec alius est ab eo cuius mentio fit libro Macha-
bæorum posteriore. At enim vero aut valde fallor, aut
Huetius præposteri hic infimulandus est iudicii, Anatoli-
us autem apud Eusebium ab omni prorsus errore libe-
randus. Cum enim duo fuerint Aristobuli, quod non
contemnendis argumentis comprobavit BARTO-
LOCCIUS, in *Biblioth. Magna Rabbinnica T. I. p. 466.* assen-
tiente D. Buddeo in *Introd. ad Histor. Philosoph. Ebræorum*
S. 18. lit. n. ANATOLIUS de Seniore illo Aristobulo inter-
pretandus est, quam *ἀριστοβούλας* temere infimulandus. Ju-
nior autem hic Aristobulus Philometoris doctor reliquit
nobis commentarios explanationum in Mosen ipsi illi Phi-
lometori inscriptos, in lucem autem non editos, quam-
vis magnum & illustre opus, Græca lingua scriptum in
illustri Bibliotheca Florentina exstare, apud Fratres item
Benedictinos Mantuæ testetur RABBI ASARIAS in
Meor Enaiim, referente Buxtorfio ad librum *Cosri p. 33. c. 9.*
Varia istius operis fragmenta conservarunt nobis Cle-
mens Alexandrinus & Eusebius, inter quæ illud non po-
stremum est, quod de versione Pentatevchi Græca, Ale-
xandrina antiquiore supra a nobis est allegatum. Jam
cum nemo temere Aristobuli auctoritatem in dubium vo-
care debeat, tum plurimum omnino valere debet testi-
monium ab eo profectum, quæ proximus fuit illis tem-
poribus, quæ accuratiorem & pleniorẽ S. Sacræ inter-
pretationem Orbi subministrarunt. Neque tamen igno-
ro, ab adversariis hujus sententiæ afferri nonnulla quæ
ad labefactandam Aristobuli auctoritatem spectant; at &
illa non magni momenti esse scio, inter objectiones dein-
de facili opera confutanda. Hoc autem Aristobuli testi-
monio Patres adducti sunt, ut toties in scriptis suis anti-
quioris versionis facerent mentionem. Hinc non incon-
venientes

venienter aut minus vere loquitur HUETIUS, in *Dem. Evangel.* p. 279. *Hæc, inquit, Aristobuli auctoritas, unica est opinionis hujus anchora. Atque ea profecto est hujusmodi, ut aliis propollere videatur, cum hic ætatis illius fuerit proximus, qua interpretationem suam elaborarunt Septuaginta Senes, & antiquior illa usurpabatur. Reliqui vero longe recentiores rei veritatem non nisi per nebulam explorare potuerint.*

§. VII.

Altera accedit ratio eaque non multis observata, sed eo nomine nequaquam explodenda. Observarunt jampridem eruditi, Judæos LXX. Interpretibus tredecim potissimum errores exprobrare, quos sive studio sive per negligentiam hominibusque familiarem imbecillitatem perperam & minus recte converterint. Videatur de illis LEUSDENIUS in *Philologo Hebræo-mixto Diff. III. §. 14.* CARTWRIGHTUS in *Mellisicio Hebr. Lib. IV. c. 3.* DRUSIUS in *questis per epistolas 16. 25. 88.* & alibi, & imprimis HOTTINGERUS in *Tthesauro Philolog. Lib. 1. c. 3. qu. X. p. 325 - 330.* Postquam igitur loca illa a Judæis in *Megilla* notata examinarunt rerum gnari & cum hodierna LXX. virali versione contulerunt, in proclivi fuit observare, quod illa a nostra tanta diversitate sejungerentur, ut hodiernam innui versionem verisimile non videretur. Hinc alii quidem cum B. PFEIFFERO p. 327. *Critica Sacra* argumentum desumserunt, quo evincerent, eam quæ nostra ætate manibus teritur, Seniorum versionem multis in locis immutatam & diversa prorsus facie indutam esse, quippe in qua nævos ejusmodi detegere & observare non liceat. Alii autem cum Cl. GUSSETO, quem primum observationis hujus habeo auctorem, in *Commentario de Lingva Ebraica pag. 822 sq.* diversam omnino & prorsus aliam Græcam versionem in *Megillæ* loco notari & obelo configi arbitratur, quæ Alexandri-
nam

nam versionem longa ætate superarit. Hanc Gusfeti conjecturam a vero ut videtur non alienam reperit Summe Rever. D. V. E. LOESCHERUS, Delitienfium Antiftes meritiffimus, in *Relationibus Theologicis vernaculis An. 1704. p. 162.* nec obscure affenfione fua comprobare videtur. Quæ hic a pertinace adverfario obverti poffent, ea deinde fub examen non invitus revocabo.

§. II X.

Non exiguum ad fententiam noftram pondus accedit ex Græca Samaritici Pentatevchi verfione, Patrum æque ac aliorum fcriptis multum celebrata. Exftitiffe quidem talem ad fidem Samaritani Pentatevchi factam translationem qui neget, eum certe ab impudentiæ nota non parum abefle exiftimant eruditi, qui perfpexit habent, antiquum Scholiaften in Scholiis, quæ FLAMINIUS NOBILIUS ex antiquis codicibus Bibliothecæ editioni Vaticanæ addidit, crebram ejus facere mentionem & variantes ejus lectiones Græcis exprimere vocibus. Sed non fola Scholiaftis illius auctoritate hæc firmatur fententia, quæ in Patrum quoque allegationibus præfidium invenit, ex quibus Eufebius Cæfareenfis in Chronico plurima eaque diffufa Samaritici codicis fragmenta græce inferuit, exemplum ejus fequentibus Cyrillo Alexandro & Procopio Gazæo. Hæ causæ funt cur MORINUS, HOTTINGERUS, Waltonus & Simonius in eam conspirarint fententiam, quod vere græca quædam ad Samaritanorum Pentatevchum efficta verfo fuerit. HOTTINGERUS enim in *Thefauro Philolog. p. 282.* Sed & græca, inquit, Samaritanorum verfo antiquitate LXX. viralem superare videtur. Etsi enim de tali verfione Samaritano-græca eruditi plures ambigant, dubitandi tamen anfam græci Patres toties in fcriptis fuis Σαμαρειτικῆς mentionem injicientes præcidunt

C

cidunt omnem. *Exempla habes aliquot in Exercitatt. Anti-Morinianis sect. 25. Et quamvis, quod sciam, nulli sint, qui certi quid de hujus translationis origine scripserint, facile tamen ii, quibus Samaritanorum historia explorata sunt, mihi concedent, justissime ad Alexandri M. Samaritanis faventissimi Principis tempora eam referendam esse.* Ex quo æstimare facile licebit, quid de Isaaco Vossio rem in dubium vocante & prorsus inficiante statuendum sit. Hic autem ab Origene ea accepisse putat primævæ Doctores Ecclesiæ, quæ de Samaritico hoc Pentatevcho commemorarunt. Prodeat ipse & causam peroret, quam in *Tract. de LXX. Interpret. c. XXIX. p. 95. sq.* his verbis egit: *Origenes in Scholiis Hexaplorum margini adscriptis sedulo annotavit, sicubi discreparet exemplum Samaritanum a codicibus Judaicis: si quid abesset aut redundaret in alterutro exemplari, id asterisco aut obelo notavit.* Provocat JS. VOSSIUS ad Eusebii locum *Lib. VI. c. 6. Hist. Eccles.* At vero iste quidem, recte monente JOH. FRICKIO in *præfat. ad LXX. Intt. p. 13.* nihil aliud dicit, quam Hebræa Origenem addidicisse, & authenticos Scripturarum libros Hebraicis scriptos literis, qui apud Judæos habentur, sibi comparasse. Adeo non facit Eusebii locus pro Vossio, qui nec felicior est in asserenda sententia semel precario assumpta in *Respons. ad iteratas Simonii objectiones p. 172. sq.* Equidem quo minus credamus, Patres ex solis ORIGENIS *Hexaplis* Samaritani codicis versionem græcam vel compertam habuisse vel allegasse, efficiunt fragmenta fatis proluxa, quæ in iis contineri modo observatum fuit. Nec existimaverim, Origenem idoneum fuisse græce exprimendis Samaritani Pentatevchi ab Hebraico diversitatibus, cum nullo veterum testimonio comprobatum sit, Origenem Samaritani idiomatis gnarum fuisse. Maturo proinde consilio novæ huic Vossii eique

eique levibus conjecturis parum firmatae opinioni obviam
ivit RICH. SIMONIS in *Hist. Crit. V. T. lib. II. cap. IX. p. 45. sq.*

§. IX.

Quanto magis igitur exploratum est, existisse olim
græcam Samaritici Codicis versionem a reliquis distin-
ctam, tam dubium est & obscurum, quo tempore, qui-
bus auspiciis, quibus auctoribus eadem fuerit concinna-
ta. Quæ Hottingeri eo de argumento sententia sit, jam
constat, nihilque superest, quam ut quid alii de eo sen-
tiant, cognoscamus. Morinus itaque Hottingero in eo
contrarius est, quod non eandem versionem isti tribuat
antiquitatem, origines ejus ad tempora Christum natum
insecuta Patresque auctores referendas arbitratus. Sed
eum recte deseruit RICHARD. SIMONIUS in *Hist.
Crit. l. c. p. 45.* Primo enim fieri vix potuit, ut Patres ver-
sionem istam ex Samaritano Codice conficerent, quorum
paucissimos & tres circiter Origenem scilicet Epiphanium
& Hieronymum Hebraicæ gnaros fuisse novimus. De-
inde vero si illi vel maxime huic labori sustinendo idonei
fuissem, eum tamen subituri fuisse non videntur, qui non
solum supervacaneus sed noxius præterea futurus erat.
Exstabat enim Græca LXX. Interpretum versio eaque in
magna apud eos auctoritate versabatur, Samaritanus ve-
ro Pentatevchus in multis ab Ebraico dissentiens a ver-
sione ejus Patrum animos avocare facile poterat, propter
incommoda inde in præjudicium Ebraici codicis redun-
datura. WALTONUS in *apparatu ad Biblia Polyglotta*
p. 377. edit. Tigurina ipsam quidem versionem non pror-
sus inficiatur at ætate multo recentiorem secus ac Hot-
tingerus fecit, judicat. *Si vero talis aliqua, inquit, existi-*
tisset versio græca, nequaquam tamen ad tempora Alexandri
M. pertigisse, sed multo recentiorem esse certo persuasus sum.
Nam ante LXX. versionem nullam græcam existisse alibi, ni-

fallor, satis probatum est. At enimvero Waltonus sententiam suam non facile cuiquam approbabit, quam tam ruinoso superstruit fundamento, sententiæ scilicet illi, qua statuitur nullam LXX. virali versione antiquiorem esse. Certe argumenta, quibus iste conficere hoc voluit, lubrica omnino esse ex sequentibus, credo, patebit. Superest RICH. SIMONII sententia, quam *l.c.* declaravit, quæque eo pertinet, quod Samaritani græce loquentes ad Hellenistarum exemplum & imitationem græcam istam versionem adornarint. *Probabilius mihi, inquit, eodem tempore & illos (Samaritanos) Hellenistarum exemplo propriam quoque adornasse interpretationem, quo isti suam adornarunt.* Ex quo patet, Simonem mera hic niti conjectura, cui alia non minus verisimilis opponi potest, ea scilicet, quæ se Hottingero approbavit, quod LXX. Interpretum versione sit antiquior, cum nullo auctore Simonius probaverit, Hellenistas Samaritanis exemplo suo in hoc instituto prævisse. Equidem Cl. FRICKIUS *p.14. præfat. ad LXX. Interpret. hanc de antiquitate versionis, de qua agitur, pervasionem eo argumento evertere conatur, quod Justinus Martyr ejus non faciat mentionem. Ita enim inquit: Non tamen adeo antiquam credimus versionem istam, ut LXX. viralem ætate superet: imo vero ne notam quidem Justino Martyri aut tum etiamnum natam existimamus, cum qui LXX. viralis, qui Aquila mentionem tam crebro facit, vix videatur ipse Samaritanus, si scivisset, Samariticæ nomen aut testimonia etiam omisurus.* Sed nec hoc argumentum satis puto validum, cum a silentio unius auctoris ad ipsius rei negationem colligere non liceat, & præterea alia ratio Justino obfuisse videatur, quo minus versionis illius græcæ, quamvis eam habuerit cognitam, meminere. Cum enim LXX. Intt. & Aquilæ versiones ad fidem Ebraici codicis expressa essent,

essent, illis uti forte maluit, quam ad Samaritano-Græcam provocare, quæ Ebraici Codicis auctoritatem sæpius insuper habuit. Nihil igitur præter rationem statuere mihi videor, dum versionem hanc altera illa Alexandrina antiquiorem facio, præcipue cum demonstrari non possit, hanc esse omnium antiquissimam, qua præjudicata opinione eorum animi imbuti profus & occupati sunt, qui præfracte hanc ex Samaritano Græcæ versionis antiquitatem inficiantur.

§. X.

Jam, ut & pars altera audiatur, æquum omnino fuerit, non solum exceptionibus, quibus nostras dissentendi rationes infringunt, aures præbere benevolas, sed & ad argumenta eorum omni industria expendenda animum advertere. Adversus Aristobuli auctoritatem duo sunt, quæ obverti solent ab eruditis. Alius enim alia ratione verba ejus interpretatur, ut ad hanc causam pertinere non videantur, quod fecisse video FRICKIUM in *præfat. ad LXX. Interpret. Lips. an. 1697.* sub init. Ait enim, ita verba posse accipi ut e libris Hebræorum historiam gentis ejus legumque enarrationem susceptam dicat. Sed non vereor ne quis huic opinioni calculum adjiciat, cum & verba in se considerata & cum contextus collata serie aliud statuere jubeant. Alii autem existimant, non germanum hunc esse Aristobuli fœtum, sed nomen ejus mentiri & varia falsi specimina secum ferre: Ita post Scaligerum pervasus fuit HUMFR. HODIUS, & pervasionis suæ rationes suppeditavit in *Diss. contra Aristeam. c. 10.* Sed nec Scaliger Huetio nec Hodius Vossio suam satis probarunt sententiam, quod iste quidem in *Demonstr. Evangel. p. 281.* hic autem in *Append. ad Melam declaravit.* Conf. de Hodio Cl. CLERICI *Biblioth. Universalis Tom. II. p. 395. sq. & 402. sqq.* HUETIUS quidem

de Scaligero suam sententiam *l. c.* ita exponit: *Aristobulè opus confictum esse scripsit quidem Scaliger, non nobis approbavit. Scaligeri autem dicta omnia nobis non sunt $\alpha\upsilon\tau\eta\gamma\alpha\tau\alpha$ $\delta\acute{o}\xi\alpha\iota$.* Instituti quidem nostri ratio, quod brevitati præcipue litat, non patitur, ut in utriusque rationes inquiramus, & Aristobulo commentarios illos vindicemus. Hoc tamen Lector rerum intelligens facile perspiciet, Hodii argumenta tanta non esse, ut scriptum suppositum Aristobulo esse existimemus. Quod tamen cum probatum a nobis non fit, & ne gratis ea, quæ in controversia versabantur, assumpsisse videamur, largiemur ultro, commentarios laudatos Aristobuli nomen falso præ se ferre, & ne sic quidem causa cademus. Suum enim pondus ac momentum testimonio huic nihilominus constabit, cum, quod recte monet HUETIUS *p. 282. antiquius certe sit Josepho & Eusebio, unde colligitur scripsisse aliquem Josepho vetustiore, aliquas Pentatevchi partes (vel quod nos malumus Pentatevchum integrum) ante Alexandrum Græce fuisse redditas: quod opinioni nostræ adversus pertinaciam ipsam tuenda satis esse potest.* Hac igitur via cum successurum negotium non speraret CLERICUS, aliam rem aggressus est, & cum integrum Aristobuli scriptum confictum affirmare non auderet, animi tamen satis habuit, ut hanc saltem de antiquiore versione Græca relationem non veritate sed auctoris commentis fulciri existimaret. Vir enim Clarissimus in *epistolis Criticis p. 231.* hominem id confinxisse putat, ut probaret Platonem ex Sacro Codice multa transcripsisse. Verba ita concepta sunt: *At illius versionis nec vola nec vestigium supererat: nec in historia translationis LXX. Interpretum ejus vel minima mentio. Quo mihi fit credibile, Aristobulum hoc finxisse, ut fidem sibi faceret apud Lectores, illico questuros, unde Pythagoras & Plato dogmata Hebræorum noscere potuissent.* Jam infi-

inficias quidem ire non licet, quod Aristobulus apud Eusebium loco allegato eo animo ac consilio commemoret, versionem quandam Græcam ipsam Persarum Monarchiam antiquitate vincere, ut probaret, *Platonem leges & disciplinam Judæorum diligenter fuisse secutum, perlectamque ab eo & quidem diligenter Scripturam fuisse.* At quomodo inde Aristobulus mendacii convinci jure possit, & quo argumento Clericus persuasus sit ut ita statueret, non intelligo, nisi quod contra plerosque omnes Platonem Sacræ Scripturæ & legibus Ebræorum nihil omnino debere profiteatur. Quid si quis igitur hæc ab Aristobulo conficta Clericum putare dicat, ut probaret, Platonem ex Sacro Codice nihil vel transcripsisse vel transcribere potuisse? Non equidem putarim, majorem sic injuriam inferri Clerico, quam quæ ab eo, Viro alioquin doctissimo, redundavit in Aristobulum. Ego quidem ita persuasus sum, Aristobulum non necesse habuisse ut talia fingeret, adeoque nec re ipsa finxisse, cum rem pervulgatam omniumque confirmatam consensione nec ab ipsis dissimulatam Philosophis illiberali mendacio suffulcire coactus non fuerit.

§. XI.

Novi quidem priorem Clerico BENIUM *lib. II. Commentar. in Platonis Timæum* eandem defendisse opinionem, quod Plato ex Scriptura nihil unquam suffuratus fuerit, dum inquit: *nihil unquam inveni apud Platonem, quod deprehendere potuerim ex una Mosis historia fuisse expressum, in multa vero incidi, ob que existimem, eam legisse nunquam.* Post Clericum autem ANT. VANDALEN in *Dissert. super Aristeam c. XXVII.* idem affirmavit; allatis variis in sententiæ præsidium rationibus, inter quas & versionis alicujus defectum numerare licet. At enimvero cum res ista non tam Aristobuli vel Josephi & qui hos magno nume-

numero apud MENAGIUM *ad Laërtium p. 140.* & sequuntur KORTHOLTUM *ad Justini Martyr. Apolog. l. p. 37.* & Patrum auctoritate, quam Platonis confessione rebusque ipsis iunitatur, quas Plato cum Ebræis habet communes, manifestum sane est, nec Aristobulum nec ullum alium coactum fuisse, ut ad ornandam hanc sententiam illaudabile figmentum advocaret. Enimvero notus est Platonis locus, quo apud CLEMENTEM ALEXANDR. *Strom. l. p. 301.* non diffitetur, se a Barbaris multa accepisse, quo nomine omnes Orientis gentes adeoque etiam Ebræos comprehendi non minus inter omnes constat. Et si largiar, Platonem Ægyptios potius sive Phœnices aut Chaldæos innuere voluisse, certe quæ ab his accepit, maximam partem Hebræis debentur, ut adeo illorum beneficio vel sic multa a Judæis mutuatus dici possit. Hæc adeo novimus ex Platone candide fatente, nec minus nobis suffragantur res, quæ Judaicæ originis vestigia in Platonis scriptis exhibent. Detexit hæc non infeliciter præter alios complures HUETIUS in *Demonstrat. Evangel. Propos. IV. c. 2. §. 13.* Quis proinde dubitaverit, Aristobulum non alias inventurum fuisse rationes ad probandam sententiam in se verissimam, nisi hoc, quod ab antiqua versione Græca desumptum est, argumentum omni exceptione majus esse existimasset. Nonne enim provocare potuisset ad familiarem usum & consuetudinem, quæ inter Platonem & Judæos, ut postea inter Aristotelem & eosdem, intercesserit, præcipue cum illum Philosophorum principem varias terras conquiendæ sapientiæ studio pervagatum fuisse exploratum sit. Vide de Platonis peregrinationibus vel solum LAERTIUM *lib. III. §. 6.* Equidem AUGUSTINUS, cum LXX. Intt. versionem omnium esse antiquissimam cum aliis statueret, ceu patet ex *lib. XVIII. de C. D. c. 41.* persuadere

dere sibi itidem non passus est, ut crederet Platonem ex Scriptura aliqua depromsisse, quod *Scripturas legere non potuerit, quæ nondum fuerant in Græcam linguam translata, quæ ille polleret.* Sed non firma innititur ratione Augustinus & qui cum eo sentiunt. At ista quidem res a nobis jam non agitur, nec agetur, cum vel hinc constet, Aristobulum alia ratione idem probare potuisse, siquidem ipsi libuisset. Et sane ad familiaritatem Platonis cum Ebræis provocarunt illi qui Græcam versionem antiquiorem Alexandrina itidem inficiati sunt. Ita enim BARONIUS *ad A. C. 231. n. 15. Quamobrem, quæ Philosophi ex Judæis accepisse noscuntur, traditione potius, cum quid rogarent Judæos ab eis mutuatos esse putamus: sicut, cum quidam ex illis apud Gymnosophistas versati, quæ ab illis audissent, didicerunt, non quidem, quod ab eis libros accepissent, atque in Græcum sermonem convertissent.* Nec minus *ὁμόσημος* Baronio in causa antiquæ illius versionis HODIUS largitur ea quæ a Judæis acceperunt gentiles ex consuetudine cum illis hauriri facile potuisse. Vid. eum *lib. IV. c. 1. de textibus Originalibus & version.* Nihil igitur causæ est, cur Aristobuli auctoritatem a Clerico & aliis labefactatam deseramus, & in adversariorum discedamus sententiam.

§. XII.

Primæ itaque rationi, quæ certe multum potest, suum robur factum tectumque manet, nec melioribus altera argumentis impugnari facile potest. Neque enim scio, quid regeri possit illi, qui Talmudicos in Megilla ad aliam versionem Græcam respexisse arbitretur, nisi forte dicatur, solenne id esse Judæis Talmudicis, ut loca authentici codicis Ebræi vel memoriæ vitio, vel negligentia diversa allegent ratione, quam qua hodie in Codicibus no-

D

stris

fr̄is obvia deprehenduntur. Sic in *Halichot Olam Part. II. c. 1.* annotatur consuetudinem Gemaræ esse, abbreviare Scripturas, nec allegare eas ut exstant. Conferatur J. O. CHRISTOPHORUS WAGENSELIUS in *Commentar. ad Sot. a. p. 162.* Cum igitur Judæi in citandis originalibus Scripturæ textibus tam incuriosi incautique fuerint, in conjecturam venire quis posset, eos multo minorem in Septuaginta Interpretum versione accurate alleganda curam & industriam collocasse. Quod si ita se haberet, exigua vel nulla potius veri specie ex diversitate quæ inter allegata in Megilla loca & nostram Græcam versionem obvia est, evinci posset, aliam Talmudicos versionem eamque antiquiorem obelo notare. At enimvero non deerit nobis hac objectione oppugnatis responsio. Non enim crediderim, Judæos sine accurata versionis in quam animadvertunt Græcæ inspectione hoc formaturos fuisse iudicium, præcipue cum Talmudici illi tantam sibi Græcæ lingvæ notitiam comparasse non videantur, ut eam ex memoria recitare potuerint. Deinde tanta est inter loca illa a Judæis allata & ea, quæ in nostra versione leguntur, discrepantia, ut adversis inter se capitibus pugnent.

§. XIII.

Cum itaque rationes nostræ enervari nullo modo possint, videndum denique est, an eadem obtingat adversariis felicitas, nec illi non minus in adstruendis suis propugnaculis quam in oppugnandis aliorum munimentis infeliciter & vano conatu occupentur. Provocant illi, & nominatim Baronius, quod supra vidimus, ad antiquos auctores eorumque adeo auctoritatem auctoritatibus Aristobuli, Josephi & Eusebii opponi posse arbitrantur. At testimonia illa ita comparata sunt, ut vel id non dicant, quod dice-

dicere putantur & dicere debebant, vel cum nostris in contentionem venire non possint. Affertur PHILONIS locus supra a nobis recitatus, sed iste quidem Aristobulo præjudicio esse nequit, quippe qui multorum annorum & seculorum quoque intervallo Philonem ætate superet, quem Caligulæ demum temporibus floruisse temporum ratio demonstrat. Si regeratur, testimonium hoc Aristobulo esse suppositum nec tantam referre antiquitatem, Philonis tamen ætatem vel sic superabit, cum Josephus ætate non admodum a Philonē remotus, Vespasiano rebus moderante, vixerit, ex quo efficitur, Scriptorem ipso Philone antiquiorem hoc de antiqua Græca versione testimonium a Josepho repetitum reliquisse. JOSEPHUS, qui itidem a Baronio ad partes vocatur, nobis opponi non potest, nisi sibi ipsi parum constare dicendus sit, qui eodem in loco nempe *Antiquitt. lib. XII. c. 2.* quo Baronius utitur ex epistola Demetrii Phalerei consignatam reliquit assertionem nostræ prorsus convenientem. *Ἀλλῶ σοι, inquit, τὰ τῆς Ἰουδαίων νομοθεσίας βιβλία λείπειν ἡμῖν σὺν ἑτέροις. χαρακτηῆσαι γὰρ Ἑβραϊκοῖς γεγραμμένα, καὶ Φωνῇ τῆ Ἑθνικῇ ἐστὶν ἡμῖν ἀσαφῆ. Σμυβέβηκε δ' αὐτὰ καὶ ἀμελέεσθον ἢ ἔχει σημερινὰ διὰ τὸ βασιλικῆς ἔργῳ τετυχημένοι προνοίας h. e.* Significo tibi libros legislationis Judæorum deesse nobis cum aliis. Cum enim Ebraico charactere & patria ipsorum lingua scriptus sit, intelligi a nobis non potest. Contigit autem & ipsum negligentius, quam postulat, expositum esse, quod nondum regia ei cura consuluerunt. Hujus certe loci oblitus dici debet Josephus, si nobis adversari in ceteris existimandus est, quam suspicionem in Virum hunc gravem cadere posse non existimo. Nec vola ulla aut vestigium negatæ versionis antiquioris in allegatis a Baronio Josephi verbis & a nobis supra repetitis exstat. Si Baronius inde id exsculpere velit, quod

de Theopompo & Theodecte graves temeritatis, qua in
Scripturam S. involarint, poenas luentibus ab Josepho re-
fertur, ea prævidisse negandus erit Cardinalis, quæ præ-
videre & cogitatione præcipere non difficulter poterat.
Si enim hoc omne inter Aristeæ, quem Josephus secutus
est, fabulas numerem cum RICH. SIMONIO *lib. II. Hist.
Crit. V. T. p. 7.* WOWERIO *de LXX. Intt. c. 9.* D. GERH.
MEYERO in 1508 *μύθοις de LXX. virali versione §. 54.* & JO.
FRICKIO in *præfat. ad Intt.* impudentiæ aut temeritatis
accusari jure non possem. Sed nolo scindere nodum, cui
solvendo me non imparem post Huetium agnosco. *Te-
lum enim, ut cum HUETIO p. 281. l. c. loquar, nobis ad
defensionem sententiæ hujus subministratur: nam si libros sa-
cros attigerunt Theopompus & Theodectes, homines græci,
& , ut verisimillimum est, Hebræica lingua prorsus rudes, sequi-
tur, libros illos jam tum Græco sermone aliqua saltem ex parte
fuisse expositos.* Deinde, quod inprimis observari meretur,
Josephus non quacunque de causa & propter solam Scri-
pturæ S. usurpationem hoc supplicio utrumque affectum
a divino Numine scribit, sed ideo, quod alter quidem
Theopompus partem Doctrinæ Legis profanis homini-
bus exponere, Theodectes autem non melioribus in tra-
gædia repræsentare instituerit. Denique hoc refert Ari-
steas idem, qui versionem aliquam jam antea exstitisse con-
ceptis verbis affirmarat. Tam parumne igitur tribue-
mus Aristeæ, vel quicumque historiæ scriptor sit, Doctrinæ
& judicio, ut ea in eadem fere pagina compilaret, quæ sibi
invicem ex diametro contrariari videre facile poterat. Ad-
vocat tandem in causæ præsidium Aristeam ipsum, cujus
tamen locus prorsus nobis non est adversus, cum id ne-
quaquam probet, quod probare debebat. Summa ver-
borum huc redit, quod Demetrius Phalereus, de compor-
tan-

tando insigni librorum numero sollicitus, id consilii dederit Ptolemæo, ut Judæorum quoque legem, qua Bibliotheca instructissima adhuc careat, interpretatione a Judæis perficienda donari curaret. Hoc sane facere Demetrius poterat, etiamsi Pentatevchum jam antea licet inconcinne versum noverat, adeoque inde efficere non licet, quod nulla versio Alexandrinam antecesserit. Hæc sunt præsidia, quibus causam suam cum Baronio tuentur alii, quæ cum levia imo potius nulla sint, ea vix sese idoneo rerum existimatori probabunt.

§. XIV.

Instat quidem BARONIUS, & quod auctoritate perfici non potuit, id argumentis conficere maximo opere annititur, vocata in subsidium ingenti librorum mole, quam a Demetrio Phalereo Ptolemæi auspiciis & sumtibus ex omnibus terrarum angulis collectam veterum monumenta testantur. *Certe quidem, inquit iste §. 13. Si aliqua antebac editio facta esset, haud illa Demetrius caruisset, qui tam ingentem librorum molem collegerat, ut nullus pene eorum, quorum notitia haberetur, reliquus factus esset: cum aliqui Hebræorum scriptis se penitus caruisse profiteatur expresse.* Equidem, non jam monebo, quod & antea studio neglexi, totam illam relationem Aristeæ, quæ de Demetrio Phalereo Bibliothecæ Alexandrinæ præfecto & primo consilii quod ad interpretandum codicem Ebraicum pertinet, auctore fertur, non inmerito Viris eruditis confictam & fraudis plenam videri. Rem enim longe aliter se habere, totamque versionem privatis Judæorum sub Ptolemæo Lagi filioque ejus Philadelpho, divisum habentibus imperium, viventium consilii concinnatam esse post SCALIGERUM, ad *Chron. Eusebii p. 123. WOWERIUM de LXX.*

Interpp. c. III. JONSIUM de *Scriptor. Hist. Philos.* p. 100. & plu-
res alios a V. Cl. JO. MOELLERO p. 300. *Homonymoscop.*
magno numero laudatos, demonstrare conatus est HO-
DIUS tum in *dissertat. de historia Aristæ Oxon. 1684. edit a c. IX.*
tum in vasto & erudito opere *de textibus Originalibus &*
versione Græca ac Latina vulgata lib. II. c. 3. Sic ANT. VAN
DALEN quoque in plerisque cum Hodio consentiens in
dissertat. super historia Aristæ cap. III. argumentis aliquot
non vulgaribus ostendere annisus est Demetrium Pha-
lereum tum temporis, cum Græca illa versio cuderetur,
ab aula Ptolemæorum abfuisse, nec curam Bibliothecæ
tam illustris egisse, imo potius sub extremis demum Phi-
ladelphi temporibus fuisse institutam *cap. II.* ac Pergame-
na posteriorem *cap. IV.* demonstrat. Verum, quod dixi,
non utar isto argumento, quo res prorsus foret confecta
nec disputabo hanc causam impeditam sane & multis in-
volutam dubiis, sed omnibus istis liberaliter concessis ne-
sic quidem patrocinium sententiæ Baronianæ in Biblio-
theca Alexandrina inveniri ostendam. Ex ipsa enim De-
metrii Phalerei ad Ptolemæum epistola apparet, ipsum
Demetrium admirationis plenum commemorare, quod
instructus adeo & locuples librorum thesaurus hoc ci-
melium desideret. Et quomodo, quæso, fieri potuit, ut
Demetrius sub primis Bibliothecæ ab ipso instructæ ini-
tiis omnia in universum scripta in unum locum compor-
taret. Denique usu venire potuit, ut antiqua illa versio
temporis longinqui injuria vel penitus perierit, vel quod
ad fragmenta quædam satis levia in uno alteroque loco
superstes fuerit, ex quibus fama illius versionis ad De-
metrii perveniret aures.

§. XV.

Ita nihil habet, quo gloriatur Baronius, præter quem alii figillatim STILLINGFLEETUS in *originibus sacris lib. I. c. 3. §. 7. p. 91. edit. germanica* id urgent, quod nullo possit ostendi argumento quare nova Alexandriæ translatio tentata fuerit, si jam ante alia extitisset. Idem negat WALTONUS in *Apparatu p. 313. b. Si versio*, inquit *aliqua Græca prius exstisset, quorsum Philadelphus tantis sumptibus tantoque strepitu aliam procurasset, cum omnes libros qui ullibi exstarent, præsertim græcos per totum orbem conquesterent, ut in Bibliotheca sua reponeret.* At consilii hujus rationes tum Aristeas, tum Aristobulus & alii, quorum Auctoritati Vir iste cum aliis nonnullis multum tribuit, exponunt, expressis verbis testantur, primo quidem Pentateuchum solum eumque proletaria opera & incondite conversum fuisse, quod causæ satis fuit, ut vel Philadelphus vel omnes alii, ad quorum salutem versio Sacri Codicis spectabat, ad procurandam novam eamque accuratorem & perfectiorem versionem animum applicaret. Ex quo apparet, quam parum tribuendum sit WALTONO *l. c. p. 313. b.* ita pronuncianti: *quod versio illa prior minus accurata fuerit, de eo magnum silentium est apud Scriptores antiquos, qui versionis LXX. meminerunt.* Contrarium patet ex veterum locis supra in medium allatis. Nec magis ille se rerum intelligenti probabit dum insuper habita Veterum auctoritate levicula ratione ostendere conatur, fieri non potuisse, ut minus accurata fieret versio eo tempore quo Judæorum lingua vernacula ipsis erat & multo magis nota ac familiaris, quam cum suam versionem fecerint LXX. Interpretes. Urget amplius WALTONUS *p. 314.* quod JOSEPHUS

lib.


lib. I. contra Apionem testatur, Aristotelem usum fuisse
Ebræo, ut Scripturas ipsi interpretaretur. Interrogat
adeo WALTONUS, si versio aliqua nota fuisset, quor-
sum opus esset Interprete? Opus ipsi erat Interprete sive
quod Aristoteli statim versionis exstantis copia fieri non
poterat, sive quod idem Philosophus sola Pentatevchi
versione non contentus reliquorum etiam Scriptorum
Sacri Codicis sensum adipisci volebat. Posterius re-
spondit HUETIUS p. 281. Dem. Evangel. Aristoteli,
inquiens, Sanctum Volumen interpretatus est Judæus qui-
dam: quippe Viro magni & curiosi ingenii pars voluminis
hujus satis esse non poterat. Hæc sunt, quæ adversus
causam nostram ab adversariis afferri solent, ita me
quidem iudice, instructa, ut a nostra nos sententia di-
movere non debeant. Fateor quidem rem inte-
gram variis adhuc involutam nebulis esse: sed id qui-
dem cum plerisque aliis historiæ capitibus habet com-
mune, quod eo minus mirum hic videri nobis debet,
quo remotius a nostra memoria est totum hoc argu-
mentum, ut eo magis Historicorum dissensio in diver-
sa animum trahere & in ancipiti relinquere valeat. Sen-
tentia nostræ præsidium in eo potissimum collocatur,
quod & Aristeas & Aristobulus reliquis, qui a contra-
ria parte afferuntur, si vel maxime putentur supposi-
ti, antiquiores pro ea militent, qui an non majorem fi-
dem mereantur quam recentiores alii idoneis iudicibus
æstimandum relinquo. His auctoritatibus non exiguum
accedet pondus, si ceteræ quoque rationes nostræ & con-
trariorum argumentorum imbecillitas re-
cte perpendentur.

S. D. G.


1. Hottinger Specimen Praelectionum.
2. Jungst in Gen: XXI. 8.
3. Schimpfius in Gen: 9. 25.
4. Gerdes Observ.
5. Lortang in Gen: 9. 13.
6. Egerd continuationis.
7. Haseus in Gen: 49. 21.
8. Schröder in Gen: 4. 23. 24.
9. Hottinger Specimen Praelectionum
10. Lotteri Historia instaurationis Templi Hierosol.
11. Schrammii introductio in notitiam Reformatorem.
12. Gerhard de Religione Moscovitarum.
13. Heckius de Confessoribus veritatis in Lepatu.
14. Werenndorf de Henotico Zenonis.
15. Clausing Athanasius vindicatus.
16. Hillierus Fata et Scripta Weigeli.
17. Sporheim de turbis Sacramentalibus.
18. Haseus de Monumento Lanciaeensi. p. 1. na.
19. Teuber de Titulis sine re.
20. Haseus de Monumento p. 2. da.
21. Wegner de visione Graeca 70.
22. Thomasius de Insignibus quatuor Evang.
23. Crüger de ~~de~~ more se deo vandi. Praef.
24. Wilto de Methodo linguas tradendi.
25. Meyer de templo Iudaeorum tertio


28. Ejirod Comentário de Medrasch.
29. Engelbach de visione Graeca Lentakuchi 70. cf
30. Theses Theologicae.
31. Van der Hart de usu linguae Rab.
32. Hareus de Descherunte.
33. Grillo de adventu Messiae.
34. Jocherius de duobus paribus pentecostalibus.
35. Kellers convenientia et disconv. Abarbanelis.
36. Hallbauer de scriptura S. in scriptoribus gentilibus.
37. Stephani de an. Moses Genesim e Johedis patriarcharum
collegerit.
38. Wolle quadriga dictorum N. Foederis.
39. Reinhard de fatis graecae Linguae.
40. Barochius de interpretatione N. T.
41. Cardler de Vaticiniis.
42. King de Schebaim.
43. Henning de antiquo aenigmatum usu in nuptiis

1



3.





(27)

Jo. Phil. Pfeifferum antiquit Græc. lib. IV. cap. 14. p.
Leydeckerum de Republica Hebræor. lib. VI. cap. 8.
de uxore Hebraica lib. II. cap. 13. p. 187. & de Jure
5. *Heideggerum* in hist. Patriarch. l. 15. *Jac. Lydium* rit.
Potterum in Archæol. Græca lib. IV. cap. II. p. 619.
um P. II. der Jüdischen Merckwürdigkeiten lib. VI.
Guil. Stuckium lib. I. antiquit. conviv. cap. 24. p. 107. &
ium l. c. In quo more sine dubio typus fuit, totum
perpetuarum nuptiarum instar esse. Quod vero pri-
tæ diei epulæ præcipue commemorantur, inde est
us paschatis & ultimus festi tabernaculorum dies
stiviores reliquis erant, ita majorem donorum gra-
s gaudii mensuram primis & postremis temporibus
simus Deus distribuere constituit. De epulis prio-
test Cant. I. II. III. Hof. II. Matth. XXII. &c. & per
status augustissimus Ecclesiæ post effusum Spiritum
ribus agitur Cant. VIII. Jes. XXV. Prov. IX. Apoc.
collineant ad feliciorum conditionem, qua Eccle-
fordibus suis in fine seculi gavifura est, quamque
n piis desiderii anhelamus. Vide vener. *Frideric.*
ium in Dodecade Sacrar. exercitat. ad Psalm. XLV.
egium Viringam in *avardores* Apoc. p. 818. ed. noviss.
jam cœna illa nuptialis, quam, NOBILISSIME SPONSÆ,
ma thori Tui Socia, vel me non monente cogita-
mper complecteris mente, ad quam per tædas nu-
neque enim ex ænigmatibus carent (*) vocaberis, &
adem aderis, non spectator tantum, sed conviva &
is epulo. O Te beatum! si sacra ænigmata isthic
expendaris & intellexeris, si in iis mente perceptis
D 3 folas

veteres in noctem usque celebrantur, vide Luca XII. 35. 36.
Ramiresum de Prado in *Pentecont.* cap. 14. p. 97. & *Cornel.*
rvat. p. 162. *Jo. Mich. Dilherrum* Tom. I. disp. Acad. p. 797.